



**M**aricus natione Boius erat, quos Hedui in societatem & fœdus Romanorum, sub Iulio Cæsare receperant. Is autem Philosophiæ operam dabat, atque rerum naturalium contemplatione futura hominibus prædicebat. Propterea magnā authoritatem, atque potentiam brevi nactus est. Nam simulatione numinis milites colligere, & Romanorum arma lacescere ausus fuit. Itaque concitis octo millibus hominum, proximos Heduarum pagos partim promissis, partim ui ad se trahebat. Nerone tum Cæsare existente. Sed missis postea à Vitellio Cæsare cohortib. fanatica illa multitudo dissipata est, Anno Christi septuagesimo.

In eo prælio Maricus captus, ac feris obiectus est. Verūm is suis incantationibus effecerat, ut feræ eius dilaniatione abstinerent, ita ut stolidum uulgus ipsum inviolabilem, atque Deum crederent. Tandem tamen Vitellio spectante, Philosophus ille interfectus est, Deitatis opinione in cum uita miserè finiens. Sueton. Zieg.